

H. Sax. H

40

H. Sax. H

40

H. Sax. H. 274

4

INITIUM FELICITATIS ECCLESIASTICÆ,  
Quæ  
PER REFORMATIÖNEM ANTE HOS  
DUCENTOS ANNOS  
GUBENÆ  
OBTIGIT,  
*recensabitur*  
*tantumq; beneficium*  
ACTV PUBLICO,  
die 15. Decembr. Anno 1724.  
GUBENÆ HABENDO,  
*expendetur,*  
Ad quem honorifica frequentiꝝ sua præsentia exornandum  
D O M I N O S  
Patronos Reiꝝ; Scholasticæ Fautores  
Ea, qua par est, observantia invitat  
M. SIGISMUNDVS CLEEMANN, Rector.  
GUBENÆ, Typis Johannis Friderici Theurichi.



ДОКЕНИЯ  
ДОКУМЕНТОВ  
А. О.  
ГИБЕЛЮ

A

Lio qvidem tempore de Reformatione Gubena<sup>z</sup> instituta à nobis actum est ac annus Seculi hu-  
jus decimus septimus, quem Festi ob restaura-  
tam priorem religionem jubilæi celebratio si-  
mul solennem reddebat, id officii genus à no-  
bis exigere quasi videbatur. Nil autem veta-  
bit, qvo minus etiam grata qvadam repetitione  
hoc tantum beneficium Gubenensibus denuo in  
animum memoriamq; revocemus. Qyodsi enim secundum tritum il-  
lud dicitur τα τρία τα καλά, atq; ea, quæ pulchra ac præclara sunt, plus sim-  
plici vice considerari merentur, certe nec vitio nobis verti poterit,  
¶ negotio illi, qvo qvidem pulchrius sibiq; magis salutiferum Gubena  
nostra haut vidit, Actum hunc ac Conatum Oratorium consecremus.  
Inprimis præsens, qui adhuc volvitur, annnus nobis ansam, ut tale  
jam susciperemus, suppeditare poterat. Is enim creditur esse, qvo  
ante ducentos annos Gubena, abjectis Pontificiorum Superstitionibus,  
saniora consilia pati cœpit puriorq; Cœtui sacro accessit. Equidem  
tam felicibus nobis esse non licet, ut adeo accurate ac indubitanter  
Tempus aliasq; circumstantias circa Reformationem heic loci fa-  
ctam se exerentes innuere ac enarrare possimus, quemadmodum id  
ab aliis etiam Lusatiae nostræ Urbibus fieri posse novimus, ac qvomo-  
do sigillatim Zittavia reformationem suam non sine magno circum-  
stantiarum apparatu non ita pridem enarrare potuit. (1) Qvin poti-  
tius

(1) Conf. I. B. C. Memor. Heidenrichiana & Program. Jubil.  
Zittav. Ao. 1721. emissæ.

us de anno etiam, quo tam salutaris rerum conversio Gubena<sup>a</sup> contigit, non adeo res est in vado, ut non dubia quædam subsint, quæ animum calamumq; adhuc teneant dubitatione suspensum. Sic non nulli Anno 1524. à Gubenensibus puriora Sacra suscepta ac admissa putant, quidam vero illud anno sublequenti accidisse arbitrantur.

Non vero inde rei veritati præstantiæq; ac dignitati qvicquam decedet. Scimus enim, qvntopere fluctuant aucti scriptorum ac in incerto quasi vagentur, si vel in aliis rebus non minus arduis calculum ponere tempusq; certum definire debeat. Ipsa initia primæ Monarchiæ, à quo anno ab O. C. ac à quo Rege arcessenda ea veniant, quam incerta adhuc sunt & quantam crucem fixerunt Chronologis eisq;, qui in describendis temporum vicibus desudant. (2) Nec tantummodo in iis rebus, quas diuturnitas temporum ac scriptorum penuria obscuras ac enarratu difficiles reliquerant, sed etiam in his, quæ posteriori ætate acciderunt, initia saepius manent incerta, qvod olim de Nili fontibus creditum est, (3) nec extra omnem controversiæ aleam prorsus sunt posita. Ac qvem fugient varia illa tententiarum divortia, quibus Scriptores in designanda & ea arranda Electorum Imp. origine incertitudinem suam satis superq; produnt. Nunc enim eam à Carolo M. Imp, nunc ab Ottone III. nunc à Friderico I. Impp, nunc à tempore Interregni derivandam esse arbitrantur (4) Qvis ergo adeo rigidum se erga Majores nostros exhibere vellet cenforem, si & nos, Eorum testimonio ac enarratione destituti, annum Reformationis Gubenensis certo definire ac utrum Anno 1524. an vero subsequenti facta sit, edifferere vix sustineamus. Tanta vero non videtur esse dissensio, ut lavavis harmonia quædam tentari ac inveniri sententiæq; conciliari inter se plane non possint. Non enim adeo à vero videtur esse alienum, si tantam rem non uno impetu & absq; prævia omni deliberatione peractam fuisse suspicemur. Ac credibile sane est, Majores consilium qvidem commutandorum Sacrorum in anno commemorato cepisse atq; initia fecisse discessioneis à Pontificiis, quæ vero anno subsequenti plenius, addo & apertius se prodiderint fuerintq; conspicta. Nec enim ubivis locorum tam repentina deprehendebatur rerum commutatio, quam Misnia non minori admiratione, quam gaudio experiebatur. Tam cito enim post inopinatum obitum Principis sui, Georgii Barbatii, Lutheri Lutheranorumq; hostis infissimi à superstitione Pontificalia liberatam se videbat, ut, quæ templi & suggestus sacri Palchatis festo ridiculis illis Papæorum nugis resonuerant, nunc commutata rerum facie, doctrinam orthodoxam e-

(2)

jusq;

(2) Conf. Celarii Disp. de Principio Regnor. it Schurtzfl. de primord. Affyrio-Chald. p. 10. & Casp. Abeli Hist. Monarch. p. 339.

(3) Lucanus Phars. L. X.

(4) Vid. Schvvederi Introd. in I. Publ. p. 700. & Conring. Disp. de Septem-Viris.

(5) Hubn. in Erot. Polit. Parte V. p. 954.

jusq; Præones admitterent. (5) Quin potius res tam ardua tantiq;  
momenti longiores hic moras ac tempus exposcebat, intra quod illa ani  
mo deliberato sibiq; constanti incipi absolviq; posset. Ac quemadmo  
dum res cimilluminatione unius hominis se habet, ut videlicet illa,  
si casus supra extraq; ordinem factos & se exerentes hic eximas, non  
unico actu sed successive, ut ita dicam, ac iteratis vicibus contin  
gat: ita a veritatis tramite non aberravero, si & idem in conversi  
one salutari ac illuminatione totarum regionum deprehendi afferam.  
Hinc prolixus non minus ac solidus est in enarrandis *χάρτος τῆς ποικίλης*  
*τε οὐσίας* actibus B. Fechtius, qvos modo ad gratiam prævenientem, mo  
do præparantem, modo operantem & adjuvantem referendos esse,  
filum ac Stilum Scripturæ S. secutus, iudicat. (6) Abjiciendæ enim,  
priusquam incolæ Regionis cujusdam in plenam lucis cœlestis per  
ceptionem repositos se vident, præjudicatae illæ opiniones sunt, quæ de  
religione hactenus culta & propugnata in animo quam firmissimas fi  
xerunt radices. Discutienda sunt tenebræ, quas falsa de veritate  
religionis persuasio eisdem offudit. Dijudicandæ porro & ad Scri  
pturam S. quasi ad Lydiūm lpidem exigendæ sunt illæ assertiones  
puriores, quibus ejuratis priscais erroribus, felici ausu suffragari no  
menq; suum dare volunt Regionis cujusdam incolæ. Nec volunt  
atis hic, quamvis eandem intellectu cim Novatoribus non antepona  
mus, (7) omittenda est mentio & quam varia impedimenta & ea ob  
jiciat, priusquam se ad tam laudabile propositum inveterata illa dog  
mata cim sanioribus commutandi accingat determininetq;. Quæ qui  
dam omnia, priusquam ex animis incolarum evelli atq; eradicari qua  
si queant, moram fane diuturniorem exposcunt.

Nec aliter quidem Majores nostri in pertractando ac adeun  
do hoc negotio existimandi sunt; ac omnino aliquantum tempo  
ris intercessit, priusquam, perruptis omnibus, quæ vel timor vel  
aliæ circumstantiæ ac rei ipsius difficultas objecerant, repagulis  
veritati vietas darent manus atq; illud, cuius in corde & *κατ'*  
*ἔσω* jamconvicti erant, voce etiam ac cultu palam profiterentur.  
Idcirco auroram quasi intanno jam commemorato 1524. Gu  
benensibus illuxisse, quæ de Sole veritatis cœlestis plenius li  
beriusq; amplectendæ paulo post orituro testari poterat, creden  
dum est. Auroram vero dum nomine, non fanaticam illam &  
Bœhmianam intelligo, qvæ sectatores suos spississimis tenebris im  
mergit, tantum abest, ut illa velut exoptata divinæ illuminatio  
nis prænuncia consideranda unquam veniat; (8) Sed istud dum ad  
struo, initia quædam tantummodo emendationis in religione &  
sacris atq; actus parascevaisticos ac præparatorios se tunc prodidisse  
non absq; suspicamur. Ac negari omnino nequit, Majores nostros,

pro-

- 
- (6) Vid. Fechtius in Tract. de vera rerum Sacrarum notitia p.  
126. it. de Ord. modoq; gratia; p. 10.  
(7) Zeibichius de illumin. Irregen. p. 16. & passim.  
(8) Conf. Sontagii Vocabularium Pseudo-Myst. p. 9. & Wildi  
us in Lue animar. Bœhmistica p. 23.

prout tunc temporum erat facies, erroribus Pontificiis imbutos satis  
imo immersos fuisse, quod inter plura alia & hoc facte indicabant,  
dum templum Parochiale exadificatur illud a sancto Laurentio de-  
nominatum volebant, hanc nobis ita suspicionem injicentes, quod ab  
αγιολατεσια ac sanctorum Cultu non fuerint alieni. Quapropter eo  
magis mirandum est, in tenebris istis temporibus etiam apud Gu-  
benenses tunc extitisse Confessorem quendam veritatis. Is vero fuit  
M. Andreas Emmsius, Parochus templi jam commemorati ac Anno  
1509. d. 12. Aprilis et ita 8. annos ante reformationem Lutheri de-  
mortuus. De hoc enim referunt Annales, quod non modo immin-  
ere reformationem vaticinatus fuerit, sed & eandem ardentissimo de-  
siderio exoptarit, seq; strenuum ac indefessum est in re Administrum  
fore, libere satis pro istorum temporum ratione pronunciarit. Quod  
quidem vaticinium Hilteni aliorumq; praesagiis (9) adjungendum  
non certe ex naturali quadam hominum ad vaticinandum dispositi-  
one erit arcendum. Adstruxerunt quidem illud Spinoza, Hobbesius  
& P. Petitus, sed per rationes theologicas non minus quam philo-  
sophicas satis confutati. (10) οειδε τι potius ac divini aliquid ex illo e-  
lucere atq; ex eo fonte illud derivandum esse non temere  
quispiam negaverit, quemadmodum haecce talia quoq; derivat Dan-  
hauerus. (11) Nec putandum est, ac si soli Gubenæ nostræ ejusmodi  
cunctatio ac tergiversatio adscribenda sit, ita ut in designando tem-  
pore Reformationis susceptae non unus, sed duo anni allegandi nobis  
veniant. Ipsa Wittenberga, ex qua tamen lux cœlestis veritatis ra-  
diis suos primum emisit, non adeo uno tempore inveteratis erro-  
ribus valedixit, quo minus ibi Missæ celebratio cum aliis cere-  
moniis Papismum adhuc redolentibus retenta fuerit. (12) Qalem muta-  
tionem non simul & semel, sed successu temporis factam autamq; in  
ipso Luthero ejusq; scriptis Theologi comprehendunt ac curas posteri-  
ores Ejus in quibusdam meliores fuisse prioribus contra G. Arnoldum  
aliosq; commonstrant. (13) Ac inde forte evenit, cur nonnulli refor-  
mationem Gubenæ Anno 1524. contigisse commemorent, alii vero  
anno demum subsequenti id factum esse perhibeant. Abusus enim  
omnes ac ritus superstitiones non uno statim tempore hic abrogatos  
fuisse credibile omnino vel exinde videtur, quoniam cum Clericis,  
saltim Monialibus, tam rigide actum non est, quo minus iisdem tan-  
tum temporis concessum fuerit, donec illis, quos ad abitum violen-  
tis mediis compellere forte solebant, mors vel alia necessitas dis-  
cedendi legem imponeret. A. o. eni 1564. demum Monialium ultimam  
quas in Cœnobio suburbano substituisse nobis constat, obiisse atq; ita

(13)

1524.

re-

(9) de quibus Dresser. in Millenario VIto p. 39. & 180.

(10) Conf. Engelkenij Disp. de Dispositionibus ad vaticinan-  
dum & Lœscherus in Prænot. Theol. p. 94. & 32.

(11) in Thearchia p. 14. & 19.

(12) Chytræus in Chron. Saxon. Part II. p. 25.

(13) Conf. Neumannus in Disp. de Retract. Patrum §. 14.  
Wernsdorff. de Theologia Mystica p. 63. & 67.

(14) Dannh. in Hodosoph. p. 469.

receptaculum' earum vacuefactum esse Annales referunt. Ac quemadmodum de cultu ac ritibus Judaicis nobis cognitum est, quod illi, invalescente Christiana religione, pede dentim tandem expirarint adeoq; synagoga Judaica cum honore, quæ loquendi ratio a Theologis adhibetur, fuerit sepelienda: (14) ita etiam Gubenenses has vivas Papatis reliquias in Urbe sua tolerare, quam indignationem Regis Bohemiæ Ferdinandi, cuius sceptrum postea reverebantur, incurrire maluerunt. Quod autem ad Reformationem Eosq;, quibus DEUS hoc in negotio usus est administris, ac ad alias circumstantias pertinet, is recensendis supersedere nunc potero, cum jam id in peculari Programmate (15) expositum fuerit nec actum denuo agere mihi nunc libeat.

A veritatis iaq; tramite institutum nostrum ac assertio nostra non aberrabit, si annum Seculi Lutherani 24. tam fausto fidere Gubenensibus affulsiſſe credamus, ut inde Epocham restauratæ apud se religionis ordiri ac deducere non sine omni fundamento possint. Evidem de Geilero Kaysersbergio, Ecclesiaste Argentoratensi, cui alioquin Dannhauerus aliiq; Nostratis Ecclesiæ Theologi ob libere taxatos Pontificiorum errores precium omnino aliquod statuunt, commemoratur, quod fastis Diem Nativitatis lux referentibus hæce verba adscriperit: Dies Calamitatis. (16) Nos in diversum ab illo abeuntes annum, Reformationis Nostræ initium referentem, alio plane elogio in Annalibus notamus ac tunc tempus diemq; felicitatis Nostræ incepisse læti fatemur. Ac hac felicitas eo major erat, quoniam illa non ad terrena, sed ad spiritualia imo cœlestia bona Majoribus nostris aditum pandebat recludebatq;. Conspiciebatur enim tunc metamorphosis quædam in Urbe nostra non Ovidiana, quæ homines vel in bruta animantia vel in res alias sensus omnis & vitæ expertes transformabat; sed ii, qui alias talpa quo-vis in rebus fidei erant cœciores ac brutorum more & velut servum pecus à Clero pontificio regebantur, reclusisoculis ac tenebris dispuſiſ, lucem cœlestis verbi videre ac homines se esse, imo vitæ æternæ hæredes nunc deprehendebant. Nec locum hic inveniebat metamorphosis quædam Homerica, quæ à Circæo poculo ejusq; propinatione ortum suum trahebat, hominesq; sui plane oblitos in alium statum formamq; (ita enim fabulatur Poëta reponet). (17) Multo potius hac sacrorum commutatio, ut venenatum illud poculum, quod Reges terra inebriaverat menteſq; eorum dementaverat (18) respuerent nec amplius istud degustarent, illos commonebat. Hæc igitur tanta, quæ Urbi nostræ tunc obtigit, felicitas nonne jure suo mereretur, quæ sempiterna Incolarum nostrorum memoria recolatur. Evidem Thuanus, cum Ianienam illam Parisiensem immanitatemq; ac diritatem Pontificiorum adversus Hugonottas Anno 1572.

ex-

(15) Anno 1717. de Reformatione Gubenensi edito.

(16) Vid. Rel. innox. Anni 1721. p. 6.

(17) Homer. Odyſſ. L. VII.

(18) Apoc XVII, 2.

exercitam longa serie enarrasset, tandem indignationem suam, quamvis ipse eorundem Sacris innutritus esset, prodens hæc verba pro can-dore suo adjicit:

*Excidat ille Dies ævo, ne postera credant  
Secula; nos certe taceamus & obruta multa  
Noite tegi propria patiamur crima gentis. (19)*

Absit vero a nobis, ut annum, qui Gubene tam faustus salutarisq; ex-titit, ex memoria deletum cupiamus, quem potius auro cedroq; di-gnum esse & qui ad seros posteros transmittatur, existimamus. Fecerunt id Bernates in Helvetia, ac diem et annum Reformationis suæ per Zvvin-glium institutæ columnæ cuidam eum in finem erectæ aureis litteris in perpetuam rei memoriam insculperunt, (20) qvamvis per eandem novis iisq; decumanis erroribus fuissent involuti. Hac igitur rei tam faustæ recordatio ansam occasionemq; nobis suppeditavit, ut, cum aliqua differendi materies sequentibus probis ac in Studio Oratorio proficere cupientibus Discipulis suggesta ac prescribenda esset, hanc præ ceteris omnibus, in quo eorum labor vel potius conatus versaretur, eligere nus.

**B**enevolam itaq; attentionem ab Auditorio Latinis ac Græcis versibus expetet, Christian Gottlieb Becker, Cohlovio-Drofnensis.

De rerum arduarum initiiis sæpe incertis aget Johann Christoph Lehmann, Lebusiensis.

De Prodromis Reformationis yerba facient David Gottlieb Geißler Heynersdorff. March. Erdmann Heinrich von Schönnermard, Eqves Luf. & Johann Heinrich Honauer, Bescoviensis.

Idem argumentum Carmine Germanico enarrabit Augustus Germanus Seltzenreid, Lubben. Luf.

Mutationes susceptas non semper periculosas esse evincent Gottfried Profe, Furstenwald. & Ludovicus Weise, Sæhrena March.

Initia Reformationis aucta & completa fuisse edocebit Theod. Gott hilff Krieger, Niemasckl. Luf.

De Lusatia prima ad veram religionem conversione differet Johann George Hämmerlein, Reppenensis.

Feli-

(19) Zieglerus in Theatr. Hist. p. 969.

(20) Teste Hottingero ac ex illo referente I. A. Schmidio in Introd. in Hist. Eccl. p. 1524.

Felicitatem magnam Gubena ex hac Reformatione obtigisse com-  
monstrabit Samuel Friedrich Birchhoß, Rampitz-March.

De impedimentis Reformationis Gubena tunc se exerentibus quæ-  
dam proferet Johann Gottlob Leuber, Gubena Luf.

Felicem esse regionem quamvis, ubi vera religio viget, comproba-  
bit Augustus Eusebius Findecker, Bescovienf.

Circumstantias quasdam circa Reformat. Gubenens. se exerentes re-  
censebit Fridericus Muder, Machnoviens. March.

Præfigia & bona omnia, quæ apud Gubenenses Reformationi præ-  
cesserunt, exponet Christian Helwig, Gub. Luf.

Gratulationem ad Gubenam & gratiarum actionem ad Auditorium in-  
stituet Andreas Sigismund Elemann, Gubenens.

Istud vero institutum ut suffragio Vestro comprobetis A-  
etumq; ipsum honorifica frequenti q; præsentia cohonestetis, omni stu-  
dio ac observantia a Vobis contendo expetoq;. Scrib. Gubena a.  
d. 13. Decembr. Ao. 1724.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

02. Sep. 1985

III/9/280 JG 162/6/85

SÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0402378

H. Sax H 40

